

Petronianum

hospitum hospites = innumeri hospites

In Petronii cap. 77, 4 quod post tot cellationes vel cenationes, tot cubi-
cula, tot porticus etc. hoc scriptum est: *hospitium hospites capit*, admodum lan-
guere multis iam viris doctis visum est. Velut Reinesius *hospitium* <M> *hospites*,
Burmannus *hospites* <C> *capit* proposuit, neuter male, si ad scripturae antiquae
rationem spectes. Nihil tamen mutandum esse Buecheler censuit haec adnotans:
„Numero non addito *hospitium* tantum esse dicitur, ut sufficiat numero *hospiti-*
um”. Qua ratione languoris vitium tolli mihi non persuadetur. Fac enim pau-
cos esse Trimalchionis hospites: iam parvum his *hospitium* satis erit, quod a
ratione loci alienissimum esse apparet. Crediderunt tamen et Friedlaender et
Ernout, interpretati alter: *die Gastzimmer haben Raum für Gäste*, alter: *les cham-*
bres d'amis suffisent à tous mes hôtes. Mihi *hospitium* genitivus pluralis videtur esse,
quam formam Thesaurus Linguae Latinae s. v. *hospes* p. 3020, 17 improbat qui-
dem, sed in duobus locis Ciceronianis, tum singulis Livii et Plinii minoris, pro
varia lectione ferri testatur; ac forsitan Petronii quoque haec forma fuerit, nam
et cap. 95, 5 et 95, 7, ubi *hospitum* in editionibus est, aliquanta pars librorum
vel *hostium* vel *hospitium* exhibet. Certe Trimalchionis loquela illud *hospitium*
= ξένων indignum non est (quod si esset, facile est *hospitum* coniecturae loco
proponere). Haec si recte disputavimus, iam in proclivi est intellegere (*domus*)
capit hospit(i)um hospites id est ‘permultos hospites’, sicut *nummorum nummos*
37, 8, utcumque de origine eius locutionis statuas, non dubium est quin ‘per-
multos nummos’ significet (cf. *olim oliorum* 43, 8; Friedländer, Petron. cen. Tr.³,
1906, S. 234).